



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Scintillæ Ignatianæ, Sive Sancti Ignatii De Loyola, Societatis Jesu Fundatoris Apophthegmata Sacra**

**Hevenesi, Gábor**

**Coloniæ, 1715**

**VD18 10988289**

25. Februarii. Pluris facienda est propriæ voluntatis abnegatio, quàm mortuorum suscitatio. S. Ignat. ap. Nol.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50423](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50423)

pla; nihil metuentes tenui halitu pestem  
bibimus, non evitaturi malum, nisi separa-  
tione longissimâ.

Et cœlum malis Angelis, & Collegium  
Apostolicum Pseudo-Apostolo se libera-  
vit, nec illis est dedecori, quòd indignos  
loco moverint. Malo perduto, duplex ac-  
crescit bonum, semel ex imminutione ma-  
li, dein ex substitutione boni: Mathias Ju-  
dæ lapsum abundè compensat.

25. Februarij.

*Pluris facienda est propria voluntatis ab-  
negatio, quàm mortuorum suscitatio. S.  
Ignat. ap. Nol.*

**M**ortuorum ad vitam revocatio nec  
meriti prærogativam, nec virtutis  
characterem, significat. Gratia est gratis  
data, bonis & malis, Domino communi-  
cante, communis.

Quid prodest suscitâsse mortuos, si do-  
mestica vivant vitia, si pravi affectus vige-  
ant; quibus mori, vita debet esse veri obe-  
dientis & virtutis characteristica.

Deo in Superiore subjici est optima vi-  
tiis extirpandis medela. Si tu obedis Deo,  
obediet tibi caro; tu majori, tibi minor ob-

tem.

temperabit. Si tu contempseris obedire Deo, nunquam efficies, ut passio tua obtemperet rationi.

Te præstat cadaver fieri, quàm cadaveri vitam reddere; cadaver ad locum, situm, & vestitum omnem indifferens, insigni obedientibus documento, nihil optat, nihil refugit.

26. Februarij.

*Si à Deo expetenda sunt signa, & plura & clariora expetenda sunt de solis præceptis servandis, quàm de servandis consiliis. S. Ignat. apud Guartem. c. 22.*

**A** Nimalis homo non percipit ea, quæ sunt Spiritûs; Consilia Christi, si audit, non penetrat; onus videt, unctio non attendit. Corticem nempe aspicias, non medullam, quò hebetudo oculorum non penetrat, ideo pauci consiliis moventur.

Magni erga hominem amoris indicium in Deo est, quos suis dignatur consiliis. Quantò est filiorum præ servis conditio nobilior, tantò major optimi Numinis dignatio erga eos est, quos in sortem filiorum invitat.

Sem.